SELECTÆ CONCLVSIONES

Ex libris Metaphysicorum Aristotelis.

I. OBjectum Metaphysicæ est Ens; Entis verò datur conceptus univocus à Substantia & accidente, DEO & Creatura abstrahibilis. Species Entis sunt Substantiale & Accidentale. Ens substantiale aliud Spirituale; idq; vel à se vel ab alio: aliud corporeum: aliud deniq; Modale.

2. Ens non est universale, prout præscindit, à possibili & existente, nam quod est possibile de facto nihil est. Neq; Entis veri & Entis rationis ratio eadem est, cùm hoc sit implicatorium, illud existere non implicet.

3. Proprietates Entis, veteres illo noto vocabulo expresserunt REVBAV, hoc est res, Ens, verũ, bonũ, aliquid, unũ, quas non distingui ab Ente realiter probat carentia necessitatis. Verius tamen, solùm tres Entis passiones esse, scilicet, *unum, verum, bonum*.

De Essentia & Existentia.

I. REs eadem vel cogitatur ut existens, vel abstrahendo ab hoc prædicato, & sic utrumq; est eadem Entitas. Nam si esset res existentia, auferri posset. Itaq; tunc Essentia redderetur aut nihil aut adhuc aliquid, quod posterius dici debet. Quia Essentiæ fuerunt ab æterno in hac sententia: Ergo erant Entia ab æterno: Ergo erant creata, antequam existerent vel certè increata.

2. Cum ergo dicuntur Essentiæ fuisse ab æterno, sensus est: Si hæc Entitas extitisset, non secuta fuissent contradictoria: eodem modo fuerunt immutabiles conditionatè, non absolutè: alioqui res annihilari non posset à DEO, quia solum existentia destrueretur & ipsa res maneret.

3. Existentia existit efficienter & extrinsecè per actionem seu per modum, non autem formaliter. Creaturæ conti-

gens est durare, est in propria locutio.

De Ente à se, sive DEO.

I. Recte dixit Tullius in 2. de Nat. Deorum. *Quid potest esse, tam apertum tamq; perspicuum, cùm cœlum suspexerimus, cœlestiaq; contemplati simus, quàm aliquod Numen esse præstantissimæ mentis, quo hæc regantur?* Quis enim Æneida Virgilij aut Historiam Livij, casu factam, aut veluti fungum terrâ enatam crediderit? quis reperto in medijs sylvis augusto, peristromatis, horologijs, mensis, imaginibus, sigillis, instructissimo palatio, fortuito mentis lapsu aut arenularum turbulento congestu assurrexisse sibi persvaserit, & non potiùs artificem statim considerabit? etsi, quis ille gente? quâ facie? moribus? prole fœcundus an orbus? ignorare possit. Ita omnino etsi in Trinitatis notitiâ & alia DEI attributa non clarè devenerint Gentes: nemo tamen, qui non persvaserit sibi esse *DEVM*, unquam extitit. Ex quo *Seneca* epist. 17. *Veritatis inquit, est argumentum aliquid omnibus videri, veluti Deos esse, quòd omnibus de Dijs opinio insita sit, nec ulla Gens usquam est adeò extra leges moresq; posita, ut non aliquos Deos credat.* Idcirco & apud ipsos Gentiles execrandi fuerunt Athei, & fuêre non nisi illi, qui etiam circa alia omne lumen rationis extinxerunt: qualis fuit Theodorus Cyrenaicus de quo Laërt. in Aristippo. *Sed* idem docebat sacrilegium & adulterium posse committi, & alia his fædiora. Sed ultra hæc ita *DEI* causâ ago; *DEVS* est id, quo melius ex cogitari non potest: sed id, quo melius excogitari non potest reipsâ existit: alioqui non esset melius omnibus: id enim longè melius est, quod reipsâ est, quàm quod est per solam cogitationem: itaq; DEVS est in rerum natura. *Deinde* si non daretur *DEVS*, quis docet bruta uniformiter & tam artificiosè operari cur nobis inditus appetitus cognoscendi DEVM? cur, (loquar cum Tullio 1. Tusc.) *Nulla est tam fera, nulla tam immanis natio, cujus mentem non imbuerit Deorum colendorum religio?* Deniq; cum Aristotele. *Vbi* reperitur participatio unius secundùm magis & minùs in diversis, necesse est deveniri ad primum, in quo ipsum est primum.

2. Difficilius est ostensu DEVM esse Vnum & Trinum: sed tamen eò pertigerunt etiam ex parte Gentiles: nam teste Cyrillo Alex. Orat, in Julian. Plato dixit, *Vsq; ad tres subsisten-*

tia

tias Divinam substantiam progredi: Esse autem summè quidem DEVM bonum; post illum autem & alterum Conditorem: tertium & mundi Animam. Aristoteles etiam in Metaph. ostendit primum Intellectum penitùs esse in actu, qui se ipsum intelligit, ex quo delectatio summa: *S*vadetur etiam hoc modo; *DEVS* est operatus hunc mundum, habuit itaq; cognitionem ejus, hanc vocamus Verbum: per illud enim intellectus loquitur: ab intellectu & à Verbo procedit motus intellectualis, qui complet operationē, seu volitio, quæ à *DEO* non recedunt, & sunt ipse *DEVS*.

3. *DEVS est creator:* quod discursu tali ostendi potest. Mundus poterat esse aliter, quàm de facto est, major, minor, *hîc*, vel ibi. Idcirco non est à se ipso. Nam esset talis, qualis poterat esse: itaq; est ab alio, & ille, à quo est, non est nisi *DEVS*.

DEI attributa.

I. D*EVS est Spiritus.* Quia *DEO* competit, quod est nobilius: tale autem est spiritum esse.

2. *DEVS est immensus.* Agens enim debet ibidem esse ubi agere potest. Nullus verò est locus, in quo simul DE*VS* agere non possit. Quocirca simul ubiq; debet esse.

3. *DEVS est æternus.* Quia si non esset ab æterno, esset ab alio. Nemo enim primum esse dat sibi ipsi. Si non esset in æternum, vel ab intrinseco esset defectibilis, vel ab aliquo alio destruibilis: & ille esset DEO fortior, ille ergo esset DE*VS*.

4. *DEVS est unus.* Quia si essent plures, quilibet illorum Prima & totalis esset causa, atq. omnes actum agerent; vel si quilibet partialis, nullus habebit omnem perfectionem, & sic nullus erit *DEVS*.

5. *DEVS est liber:* si enim necessariò ageret; & eodem modo, & omnia, quæ potest, ageret simul.

6: *DEVS est Ens simplex physicè* tam accidentalis, quàm substantialis, expers compositionis, sive quoad partes essentiales, sive quoad integrales. *S*ingula enim horum indignas DEO imperfectiones includunt. Si enim esset compositus ex materiâ & formâ, duabus Entitatibus constaret imcompletis & ad se dicentibus ordinem: ex partibus integralibus plura inconvenientia sequuntur. Jam verò, si ex accidentibus componeretur, deberet illis substare tanquam formis distinctis à se, & se perficienti-

 bus

bus, quod arguit in subjecto & limitationem essentiæ, & potentialitatem & participationem: & quia nulla potentia passiva potest ex se reduci ad actum, arguit indigentiam agentis extrinseci adducentis illam formam.

7. *DEVS est immutabilis. Mutatio* enim contingit, vel quia aliquid transit ex non esse ad esse, vel quia transit ex esse ad non esse, vel quia recipit aliquam perfectionem de novo, vel quia suum esse transfert ad locum alium. Horum verò singula aliquod DEI attributum perimunt. Nam priora duo tollunt æternitatem, tertium infinitudinem, quartum immensitatem: nullatenus itaq; in DEO reperiri possunt. *Idcircò* ex mundi Creatione, Angelorum Hominumq; existentium pro omni differentia temporis, obsequijs, cultu, honoribus, & ex omnium etiam Creaturarum possibilium gloriâ, nihil accedere *DEO* felicitatis aut gaudij intrinseci: & vice versâ, si totus mundus periret, & omnes Angeli & homines æternis pœnis addicerentur, nec per impossibile ulla Creatura possibilis esset, quam posset admittere in consortium sui, æquè DEVM beatum in seipso, & in Trium personarum Societate cum omni felicitate permansurum, manifestum est.

De præcipuis Entibus ab alio, seu de Intelligentiis.

I. Coppinus & Quintinus negabant Intelligentias, uti refert Bellarm: lib. 2. de amissione gratiæ, capite. 1. Magis verè omnes Philosophi agnoverunt,

2. Demonstrari existentia eorum à priori non potest. Quia carent causâ necessariâ, qualis exigitur ad talem probationem. A posteriori probatur. Quia astra debent ab alio moveri, cùm non vivant, itaq; ab Intelligentiis. Nam *DEVS* ordinarijs in natura effectibus causas secundas providit ordinarias.

De viribus Intelligentiarum in genere & circa vegetativa.

I. Futura non cognoscunt naturaliter, quibus admiscetur contingentia: multa nihilominus conjecturaliter colligunt, ut sunt sagaces; norunt enim propensiones.

corporis

corporis humani complexionem, cui non rarò homo non reluctatur. Simulant tamen (si sunt malæ) sæpe notitiam futurorum, scilicet ea, quæ illis casu præterita, nobis ut futura venditando: hoc modo inundationem Nili Ægyptiis ex idolo prædicebant, quia post multa centena milliaria ad fontes Nili ingentes conspexerunt imbres, quos vel natura vel eorum solertia adduxit, de cætero fassus Aristoteles apud Orig. lib. 7. init. contra Cell. dæmones in Oraculis falli & fallere; imò ipse Tullius 2. de divin. oracula falsa Apollinis enumerat: sed Christo nato omnia obmutuerunt, uti audacter Theodoretus lib. 10. contra Græcos circa medium: *Nullæ divinationes ad Castalias aquas fluunt, nulla ad Colophonium fontem, nihil prædicit liber Thesphrotinus: nihil tripus ille Cirrhaus: Dodonæum tintinnabulum nihil nugatur; nihil loquitur vulgatissima illa quercus: tacet Apollo, Delius, Pythius, Clarius, Didioneus: silentium est in Lebadia, & in Trophonij antro: obmutuit Amphilochus, Amphiaraus obmutuit, & Ammonis oraculum.*

.2 Directè nullam substantiam corpoream possunt producere, nisi fortè applicando activa passivis. Circa corpora inanima possunt omnia præstare, quæ motu locali aut admotione agentium naturalium præstari possunt. Hoc modo apud Cic. 1. de divinat: cotem secuit novaculâ Navius. Et quia motum localem consequitur sonus, illum possunt excitare, & ita teste Cyrillo 3. ad Iulian, Pythagoram Causus fluvius salutavit. Possunt ventos cohibere, quod refert Iustin. q. 24. ad Orthod. factum ab Apoll. Thyanæo: factum & ab Empedocle refert Clem. Alex. Strom. lib. 6. c. 1. hoc modo sedabant fluctus maris oblatione primitiarum, de quo Simplic. in Enchirid. Epict. c. 38. Possunt efficere, nequid inter imbres madefiat: & ita statuam Dianæ Cyndiadis, & statuam Vestæ, apud Iassæos conservabant à madore Intelligentiæ, uti est apud Polyb. lib. 16. s. 4. Possent aurum facere, quia hoc & Chymici fecerunt: sed Suprema vetat Providentia, ne tam faciâ fame plures mortalium seducant, idcircò Grillandus lib. de sortileg. c. 3. n. 9. observat nunquam auditum aut conspectum quenquam servientium dæmoni, factum fuisse locupletem. Possunt pluvias adducere, tempestates, grandines, tonitrua; imò pestes. Ita Tartari nebulas & tenebras inducunt, quando volunt, teste Pau. Veneto: & hoc dolo Poloni illam celeberrimam cladem passi, quando novem saccos au-

ribus impleverunt. Sic Lapitæ & Finni ventos vendunt, & Re[x]
Sveciæ Henricus in eam partem vertebat ventum, in quam pile-
um. Ita Romæ teste Festo lapis in urbem pertrahebatur, cùm
egerent pluviis: & ob id dicebatur *Petra Manalis*.

3. Replicationem in corporibus & penetrationem Intelli-
gentiæ facere non possunt, id enim utrumq; excedit vires natura
sed per præstigias eundem duobus locis ostendere possunt, u[t]
ostenderunt Pythagoram apud Orig. 6. contra Cels. Possunt et-
iam celerrimè subducere, ut videatur penetrâsse, uti factum cu[m]
Cleomede Astipalensi apud Orig. 3. contra Cels. qui in arca[m]
confugit tenuitq; supra se operculum, sed cùm hostes irruen[tes]
reclusissent, nihil repererunt: hoc dolo jactabat apud S. Cle[m].
Rom. 2. recogn. Simon Magus se montes posse instar luti pen[e]-
trare: ita Phylumene teste S. Aug. hæres. 24. in angustissimi o[s]
phialam vitream grandem panem injiciebat: erat enim venefi[ca]
quæ oculis adstantium sciebat illudere: idcirco fabula est sagas [per]
angustissima educi foramina: reserat Intelligentia quantum [cor]-
pus, & velocissimè rursus concludit.

4. Nutritionem, accretionem, generationem formali[ter]
sumptas non potest Intelligentia supplere, imò affirmativam d[a]-
mnant Chrysost. Theodoretus Cæsarius. Quia hi actus sunt
tales & à principio intrinseco per potentiam internam opera[n]
procedunt. Insecta tamen uti *Muscas* & ejusmodi, quòd po[sset]
Intelligentia activa passivis applicando producere, judicavit j[a]
olim S. Aug. lib. 3. de Trin. c. 9. Quia id ipsum & homines
Magia naturali versati præstare possunt. Assumpto autem ve[ro]
Animalis semine & in debitum locum transmisso qui negant p[ro]-
duci posse ab Intelligentijs quodlibet vivens, hoc damnat imp[u]-
dentiæ idem Doctor lib. 15. Civit. cap. 23. si experientia attesta[n]
hoc modo Homerum genitum multi scribunt, imò gentem H[u]-
norum scribit Iornandes in hist. Gothica. Actus vitales vitæ ve[ge]-
tativæ impediri notum ab Intelligentiis, maximè propagatio[n].
Possunt etiam inhibere vim caloris ita ut animal ad longum te[m]-
pus omnis cibi expers vitam proroget, idq; vel temperando c[a]-
lorem internum, vel applicando frigida, vel humores viscid[os]
è toto corpore colligendo, ut calori fiant pabulum, quâ ratio[ne]
glires inediam brumalem superant teste Philosopho lib. 8. hist.
14. & 17. sæpius tamen cibos quospiam subtiles talibus immittu[n]
qui sunt excellentis substantiæ uti sentit S. Prosper. lib. de dimi[d].
temp. cap. 2.

5. Pot[e]

5. Potest Intelligentia morbos curare, qui sunt naturalibus medicinis curabiles; Exemplum hujus medelæ apud Tacitum 4: Hist, dedit in *Vespasiano*. qui salivâ oris sanavit cœcum: aderat enim insignis Magus illi curationi Apollonius Thyanæus uti advertit Baron. an 71. & ipse Tacitus fatetur illum morbum non excessisse vires artis. Adrianus etiam Imperator curavit cœcum, sed eum, qui simulavit morbum, ut Cæsarem vanissimâ adulatione â proposito vitam sibi eripiendi averteret, inquit Spartianus. Solertissimè tamen adnotat Tatianus Orat. contra Græcos. n. 27. Dæmones sæpè velut latrones capiunt aliquos, quos oblato pretio dimittunt; & insident prius miserum, ut abscedendo gratiam exhibuisse videantur, turbant prius in homine humores, ut nequitiâ desistendo beneficium se jactent contulisse. Duo præterea pulcherrimè antiquissimus Patrum Iren. lib. 2. advers. hæreticos advertit. Vnum cap. 56. quod ubi agitur de confirmatione alicujus veritatis per prodigium à DEO compescantur, ne populi in errorem inducantur. Alterum, quod sanitas ope perduellium spirituum obtenta præterquam quòd cum ingenti scelere paretur, rursus cum magno auctario morborum amitti solet: idipsum diu expertus Fernel. lib. 2. de abdit. cau. rerum cap. 16. Multò magis morbos possunt inducere per localem humorum transpositionem, vel corruptelam adhibitis corrumpentibus. Nam febris continua oritur, quoties sangvis putrescit; omnia enim putrescentia incalescunt: aliæ febres, quia non statim alia materia succedit priori exustæ, per intervalla procedunt; nam tertianæ materia, bilis corrupta; cujus depravatio biduum exigit, & cùm sit sicca, intra 12 horas absumitur; neq; ultra producit paroxismum nisi in spuriam degeneret: quartana, quia frigidam & siccam melancholiam accendit, expectat ejus putrefactionem triduo, & quia est frigida materia, lucta accensionis ad 24. horas extenditur. Rigores præcedunt, dum calor succurrit cordi, in quod exhalat crudos materia, dum incipit accendi, vapores. In capite distemperies, *vel* ex repletione frigidæ pituitosæq; materiæ opplentis meatus, & tum solum gravedinem quandam persentiscimus, vel ex copia sanguinis exundantis ad partes superiores, & tum ardore sentimus faciem corripi, *vel* cùm bilis invadit, & tum sensum perforantis, mordentis, pulsantis, cum æstu ac amarore accipimus, *vel* ubi flatus se inter ossa ac membranas insinuant, quos solet prodere aurium tinnitus. Paralysi membra laxantur, quando nervi aliquo humore aut tumore obstru-

obstruuntur, ut spiritus animalis penetrare non valeat. *Epilepsia* miserum animal corripitur quando melancholicus pituitosusq; humor meatus cerebri obstruit, à quo dum conatur se expedire illa pars, variè contrahitur ac se contrahit, variasq; distorsiones prout spiritus inæqualiter membris affundit, ciet. Contrahuntur membra, cùm nervis, aut musculis se insinuans humor ea in latum diducit, ut sit necesse contrahi è longo: Græcis hæc affectio dicta σπασμος. Brevius malum est, si tantùm oriatur ex crassis vaporibus: sopitur verò tactrix facultas, cùm humore frigido, putrefacto, pituitoso, cerebrum obruitur; Græci dedêre nomen lethargi sed si ventriculi cerebri obstruantur, tunc cum cæteris sensib⁹ etiam tactio subtrahitur, quæ affectio nomen habet apoplexiæ: morbi quidã oriuntur juxta *Phil.* 2. de part. anim. cap. 7. *instar imbrium* ascendentibus scilicet è vitiato corpore vaporibus ac refrigeratis. hi verò sunt arthritici potissimùm. *Duplex* enim est *pituita*, alia tertiæ, alia secundæ coctionis recrementum, illa quidem vel est *interna*, quæ in cerebri ventriculis colligitur; vel *externa* sub cute capitis solita congregari. Collecta in ventriculis cerebri aliquando in partes inferiores polabitur vel propter copiam gravantem ut in hydropicis, vel propter frigus exprimens, vel æstum colliquefacientem, vel balneum laxans, vel nimium corporis exercitium vehementer conturbans, vel propter passiones animi graves: & hæc quidem si in nervorum originem incidens eos ostruat; oritur apoplexia, paralysis, stupor, tremor membrorum: si verò in organa sensuum incidat; inducit cæcitatem, surditatem, tinnitum aurium, privationem odoratûs: si in fauces, aut asperam arteriam, raucedinem: si verò in pulmones, tussim, asthma, phtisim: si in ventriculum, cruditatem: si in intestina, alui distemperiem. Altera pituita, quæ sub cute calvariæ gignitur, est recrementum venarum per faciem & tempora in caput irrepentium ibiq; sub cute desinentium; quoties illæ seroso humore abundant, cum aliis superfluitatibus effundunt eam sub cutem: & hæc pituitæ effusio est origo distillationis externæ in talos, maxillas, dentes, cervicem, brachia, latera, dorsum, lumbos, crura, & omnes articulos, in quibus varias acquirit denominationes: in pedibus podagræ, chiragræ in manibus, Ischiadis in coxendice, alias in aliis membris: & universim arthriticæ passionis.

61 Possunt intelligentiæ mortem animalis differre: habent enim

enim quædam animalia renovandæ ætatis donatas à natura industrias: sic teste Philosopho 8. hist. c. 17. serpens exuit senectam: de admir. aud. cap. 65. fe..s rejuvenescit & aquila. Antiquissimus Tertull. de senio Cervi lib. de pallio. cap. 3. ita loquitur: *Arbiter suæ ætatis serpente pastus veneno langvescit in juventutem.* Possunt enim per artem humores noxij ex animali educi: possunt activa insignia admoveri: præstat hoc Medica ars in pueris aridis, dum eos bonæ restituit temperiei: quidni eandem inducere temperiem posset Intelligentia, si à Majore sineretur.

7. Non potest Intelligentia hominem verè mutare in bestiam, ita sensit. S. August. 18. Civit. cap. 18. decisumq; est in Concil. Ancyrano cap. *Episcopi* 27. q. 5. Fabulæ itaq; sunt de transformatione Apuleii, de Circe & quæ de metamorphosi hominum in lupos jactantur. Lycanthropia morbus est, non transfiguratio: membra relinquit priora, sed vitiatione atræ bilis ingenerat affectus lupinos, procreatq; odium in oves; ut illas morbo tali correptus in modum lupi invadat, sicut illi, qui ursi cerebrum devorârunt, turbatâ phantasiâ arbitrantur se ursos, ac sylvas petunt, omniaque bestialiter agunt. Potest nihilominùs ita ægro homini per Intelligentiæ operam exterior lupi circumponi species, ubi corpore lupi ex aëre formato circumjectus fuerit. *Sæpiùs* tamen Intelligentia sopito alicubi Lycanthropo ipsa in ejus imagine discurrit: aut verum lupum insidet, & si illi vulnus inferatur, supremæ permissu Providentiæ hominem vulnerat, in quam rem addûcit exempla Guilielm. *Paris.* 3. 2. de univers. c. 13. & Niemberg. in Nabuch.

8. Non potest Intelligentia Animal vitæ restituere. In brutis enim perijt anima, neq. unquam eadem, quibuscunq; positis dispositionibus regreditur: idcircò si operâ Magorum aliquando bruta perfecta revixerunt solùm mortificata, non verò fuerunt mortua. De imperfectis alia ratio. Nam apes & muscæ emortuæ si tutæ succo perfundantur reviviscunt; & quidem muscas satis in cineribus sepelire; anguilla, si defectu aquæ motua fuerit, integra aceto injiciatur ac sangvine vulturis adjecto sub fimo recondatur, intra paucos dies vitam recipiet. Hominis verò animam non reliquit DEVS potestati Intelligentiarum: Cadaver hominis ingressus aliquando Genius perversus, ut eum vivum simularet: ut notavit Anastasius q. 23. in script. sed illi vitam nunquam reddidit. Tales strophas patrârunt etiam perversi. ut Arianorum

anorum Episcopus, qui conduxit mendicum, ut simularet cæcitatem, ejus sanatione sibi nomen facturus de quo Greg. Turonen. 2. hist. cap. 29. & Cracoviæ alter qui, ut mentiretur mortem, persvasit cuipiam, eum mox improbo prodigio vitæ redditurus, de quo Alanus Copus dial. 6. c. 29. sed DEUS nequitiam confudit, & hunc ostentantem speciem mortis verâ morte, & illum fingentem tenebras verâ cœcitate punivit ; tales jam olim risit Tertulli: de præscrip. cap. 30. *Apostolorum in perversum æmulatores: Apostoli de mortuis faciebant vivos, isti de vivis faciunt mortuos.*

De viribus Intelligentiarum circa vitam sensitivam & ejus adjuncta.

I. POssunt deludere externos sensus: idq; vel indirectè perturbando phantasiam : tum enim persvadet sibi homo verè ea præ oculis aut alio sensu versari, quæ solam fatigant imaginationem : tali ludibrio febrientes & amentes miserè exercentur : tunc verò non sunt in omni vigiliâ (ut advertit Ang. Doctor lib. 3. cont. gent. cap. 104.) sensus, sed quasi in quadam extasi aut sopore. Directè etiam sensus illuditur, idq; modo triplici, qui colligitur ex Justin. ad q. 81. & Gabr. in 2. d. 8. q. 2. a. 3. *Primus* est modus, quando mutatur objectum, quod fit vel celerrimâ agitatione, vel ejus occultatione & suppositione alterius, atq; ita prodigium de sociis Diomedis, qui putabantur transiisse in aves, explicat S. Aug. lib. 18. de Civit. cap. 8. pro quibus velociter aliò deportatis supposuit aves Intelligentia: similiter Iphigeniæ cervam substituit: tali arte Circulatores oculos spectatorum in admirationem rapiunt, dum comedendo panem simulant se remetiri farinam, bibendo aquam per vulnus frontis reddunt vinum, hoc modo gladios vorant, acus evomunt &c. Ad quam classem reduci possunt illæ technæ Magorum, per quas miseris Persis illudebant, cùm ignem facerent loquentem, tubis scilicet per focum occultè derivatis, per quos aliquis è latebris vocem effundebat ; quam fraudem detexit Maruthas, ut est apud Socratem lib. 7. c. 8. Tali dolo victima cœlesti igne videbatur cremari apud Græcos, quem ostensis tubis, per quos infernè ignis in victimam immittebatur, Aurei oris Doctor hom. de Petro & Elia, detexit. *Alter* modus est, quando

medi

medium mutatur; tali arte convivium instituit Coloniæ Albertus Gulielmo Imp. in quo convivæ mutilati membris conspiciebantur teste Bzovio, anno 1248. n. 2. Hoc modo visendos colore mortuali hospites reddebat Anaxilaus, sulfure nimirum inflammato aërem inficiendo, per quem visus noster objecta attingit, ut est apud Nilũ cap. 100. & 101, de orat. Hoc modo Marcus Hæreticus & Magus apud Irenæum lib. 1. c. 7. in album, purpureum & cæruleum objecta tingebat. *Tertius* est, si potentiam turbet, variet organa, qualitate aliquâ imbuat, transponat. Hoc modo reddet omnes cibos amaros, si lingvam amarore imbuerit; si viridi corneam in oculo tinxerit Intelligentia, omnia viridia spectabit animal.

2. Potest Intelligentia reddere objectum invisibile, vel localiter aliò amovendo, uti Lactantio teste lib. 5. cap. 3. Apollonius redditus invisibilis, effugit Domitianum, à quo invitus tenebatur, & Puteolis, ubi à sociis expectabatur improvisò conspectui se dedit. Quo etiam modo apud Cæsaream victima Diis sacra invisibilis reddebatur & à delusis mortalibus credebatur in cœlum abrepta: donec Asterii precibus impostura dissiparetur ut est apud Euseb. lib. 7. hist. cap. 13.. Hoc eodem dolo Sacrificus Colophone fontis haustu conspectibus se eripiebat, de quo Jambl. de myst. parag. 25. Hoc modo Gygis annulus invisibiles faciebat, de quo Plato 2. de Repub. nisi malis cum S. Ambros. lib. 3. de off. c. 5, eum credere fabulam. Hæc omnia solo motu locali peracta. Sed & alio modo visum nostrum effugere objectum Intelligentiæ potest operâ. Quia potest corpus aliquod intermedium inter illud & visum nostrum ponere: vel lucem omnem ab objecto excludere. Vt verò species visivas destruat aut compescat fieri non potest, cùm teste S. Th. lib. 3 : contra Gent. c. 104. virtus ea nulli agenti secundo competat: *Vnde* non habet fidem quod in adscripto Alb. opus habetur, quòd scilicet gemma heliotropia, si herbâ ejusdem nominis atteratur, invisibiles reddat. Avertere verò species aliorsum non est virium Intelligentiæ, cui non est relictum movere accidens suo subjecto.

3. Facilius ab Intelligentia potest Odoratus deludi; sic quidam in sentina pernoctans, de quo Guiliel. Paris. 3. 2. de univ. c. 23. videbatur sibi in cellâ aromatum noctem voluptuosè peragere: fieri autem hoc potest; *vel* si aliunde aromata aut odorata olea afferantur, *vel* si ipsum olfactûs organum alteretur. Non

tamen

tamen semper suspecta debent esse antra, si quæ gratum effundant odorem. Natura id dedit argentifodinis in tractu Mariæburgensi in Saxonia, uti refert Agric. in Berem dial. potest & aliis locis indulgere.

4. Gustum ab Intelligentia delusum exempla docent. Factitabat talia non rarò convivia Numa, teste Plut. sed in quibus meliùs habuit imaginatio, quàm venter: soli enim imaginationi illudebatur; vel etiam fortasse organum gustûs aliquo sapore deliniebatur, & tum majorem à mensa referebant famem, quàm attulerant, quia in modum somniantium comederant.

5. Tactus etiam circa vehemens sensibile potest impediri ab Intelligentia; ita docet S. Th. q. 6. de potentia, art. 3. potest enim interponere aliquod corpus inter pedem v. g. Magi in ambulantis per carbones: quod ipsum eveniebat afflatis Deæ Furoniæ Numine apud Strab. 5. Geograph. & de quodam sacrifico narrat Iambl. parag. 24. Sed sæpiùs capit oculos spectatorum, ut putent Magum per ignes incedere, cùm per vicina periculi vacua deambulet. Subinde etiam asportatur aliô, donec incendium transierit: tali modo Lituus, insigne auguratûs, apud Romanos teste Cicer. 1. de divin. (bacillus erat is in modum litui inflexûs) exustâ saliorum curiâ mansit integer, ut hoc dolo perversa Intelligentia auguratui nomen compararet. Insuper dicuntur succi inveniri, quibus illita manus hominis impune possit flammis colludere: vidit Busquequius Turcam, qui succo quopiam palatum imbuit, per quod deinde ferrum candens pro libitu deducebat: alium vidit Cardanus, qui faciem & manus plumbo liquido lavaret, sed fortè plumbum erat minutatim concisum, Mercurio infusum ab eoq; brevissimo tempore resolutum, crucibulo interim mortuis carbonibus illusionis causâ imposito: tale enim plumbum neminem adurit, cùm naturam Mercurij frigusq. induat. De succis verò dicimus, quòd vel calorem inhibeant, vel membra stupefaciant: tali succo refert Anastas. q. 23. Simonem Magum adjutum se inter flammas volutâsse. Sunt quidam in Gallia & fortè alibi qui se jactant de familia S. Catharinæ, & rotam corpori impressam à natura ostentant, (ab arte Vairus deprehendit insculptam,) tales ignem tractant, & fumos illæsi ingrediuntur. Alij qui dicunt se de genere S. Pauli, viperam in corpore formatam ostentant, & dicuntur serpentes illæsi tractare & contactu suo arrosos à colubris persanare; unum eorum se vidisse asserit

se afferit Ananias lib. 4. de Nat. Dæmonum: cap. 11. virum fide dignum & sine suspicione magiæ, qui sputo sanabat. In his indemnitas vel hâc eâdem operâ Intelligentiarum contingit; vel si quid sanius de illis tenere evidens ratio comprobârit, gratiam esse gratis datam, sentiendum erit.

6. Sensum internum potest Intelligentia turbare. Potest enim permiscere animalis humores ac confundere, ut fit in phreneticis ac maniacis, vel affundere humores qui hanc illamve speciem excitent.

7. Potest Intelligentia risum imitari humanum: & exemplo ab Aristotel. lib. de admir. auscult. c. 96. allato, comprobatur. Scribit ille, audiri noctibus risus cum tympanorum ac cymbalorum sonitu ad quoddam in Lipara Insula sepulchrum. Huc etiam spectat, quod refert Sveton. nimirum Jovis statuam ingentem extulisse cachinnum, cum Romam transferenda esset aliunde jussu Caligulæ: talia ludibria, quia sæpiùs observata, etiam nomen invenerunt apud Cassianum collat. 7. cap, 32. *Ioculatorum*.

Voces Animalium qualcunq; effingi posse ab Intelligentia, sentimus. Parva res est vox humana; sed magnum requirit apparatum, ut homo sciat æstimare verba. Membra 6. laborant unam circa voculam: labia, dentes, lingva, palatum, guttur, pulmo. Nec satis: laborant & sex potentiæ, Intellectus, qui ordinat verba: voluntas, quæ membra, ut Dominus servos, incitat ad operandum; Memoria concurrit memorando ea, de quibus loquendum: concurrit imaginatio proxima appetitûs Magistra: concurrit loco motiva, imò & visiva frequenter potentia, intueri enim solemus eum, quem alloquimur: neq; auditiva interim feriatur. Quid quòd pro ipsis etiam literis diversa membra fatigentur. Qui enim labijs caret, nunquam exprimet literas *B. M.* R. N. ut meritò hæc Elementa dici possint labialia, qui dentibus caret balbutiet in efferendis Z. S. R. non efferet sine gutturis motu A. H. sine palati ope non proferet G. K. I. X. lingvâ immotâ non pronuntiabit D. T. L. Sch. Sed minori sollicitudine Voces absolvere potest Intelligentia paratis animalis abutendo organis. Imò cùm vox sit sonus ex collisione corporum certo modo institutus, quis non posse per artem fieri credet? varietas verò vocum ex varia oritur dissectione aëris: sic reprobæ Intelligentiæ, ut Sanctum vexarent senem M. Antonium, jam balabant, jam grunniebant, rugiebant horridùm, sibilabant, croci-

tabant

tabant & in omnes agebantur bestias. Potest etiam Intelligentia hæc bruta subingredi: & illis se tantummodo passivè habentibus eorum organa in voces flectere proprias aut alienas. His vafrامentis quondam Taurus humanâ voce Jovem testatus. Ulmus voce muliebri Apollonium affata? Quercus Dodoneæ nostra dederūt verba, cadavera semiputria prolocuta. Mirū hîc observat Guiliel. Parisien. 2. 2. de Vniu. c 151. de energumenis, quòd dum hi miseri suapte movēt organa, nitidiores edunt voces, dum improbus Inquilinus raucas, ut per hoc quis sit, qui loquitur, dignosci possit. Quod credo, si ita est, non provenire ex eo, quasi Intelligentia lingvam movere nesciat; sed altiori aliquo consilio: obscuritate enim delectatur ille spiritus, & (ut Remigius lib. 1. Dæmonolog. c. 8. ex confessionibus sagarum didicit) sermones formant, dum sagas alloquuntur, quasi os tunnæ aut vasi testaceo insertum haberent: & tali voce scribit Crinitus lib. 7. de honesta discipl. respondisse illos Genios, dum requirerentur ab Hermolao Barbaro & Georgio Placētino, quid nomine ἐντελεχίας Aristoteles sæpissimè in suis operibus relicto intellexisset.

9. Inducere somnum longissimum facillimè Intelligentia potest. Potest enim plurimos humores atq; vapores invehere, per quos ligetur sensorium primum. Hoc enim modo totâ hyeme sine prodigio glires unum ducunt somnum. Hoc modo quidam toto septennio produxit quietem, de quo Bzovius an 1376. n. 23. Possunt contrario artificio longissimam procurare vigiliam: nam idem effecit insania in quodam, de quo Fernel. lib. 5. Patholog. cap. 2, qui totos 14. Menses insomnes duxit.

De viribus Intelligentiarum in animam rationalem.

I. Quamdiu anima rationalis corpori manet alligata, ea omnia potest in illam Intelligentia, quæ ex corporis affectione & externis pendent affectionibus. Unde

1. Potest in homine cogitationes, non quidem immediatè (hoc enim vocant PP. illabi in animam ac soli Spiritui S. concedunt) sed moto interno sensu, quem intellectus quoad simplicem apprehensionem consequitur, movere. Hæc fuit veterum Ascetarum opinio, quam refert Marcus Eremita tract. de Baptismo post med.

med. 1. Poteſt eodem modo in voluntate varios indeliberatos excitare motus, ut odij, amoris, &c. ita Pſellus, Suidas, Gregoras, & hanc ſpeciem Magiæ *Philo* lib. de ſpecialibus legibus vocat Pharmaciam: tale in vitis *SS*. legimus de Cypriano adhuc Mago, qui per Intelligentias conabatur *S*. Iuſtinam Virginem deinde commartyrem ad impurum deducere affectum. Simile refert Greg. M. itidem de *Baſil*. Magno lib. 1. dial. c. 4. *Ex* doctrina enim Ariſtotelis init. phyſiogn. Gal. Senecæ lib. 2. de ira c. 18. animi mores temperamentum corporis ſequuntur: facile autem eſt Intelligentiæ corporis temperiem immutare, corpus alterare, incendere &c. poteſt etiam aliqua Phyſica agentia ad hoc adhibere, verùm ubi anima à corpore abſolvitur, nihil jam Intelligentia viribus ſuis efficit, niſi objectum proponendo, perſvadendo, rationes admovendo.

2. Nemini habitus quoſpiam aut ſcientias infundere poteſt Intelligentia. Nullas enim formas etiam accidentales producere poteſt. Poteſt tamen hominis memoriam juvare noxios humores ſubtrahendo, & excitando phantaſmata, quæ novit ad certæ rei reminiſcentiã cõducere, quod tamẽ ut loquamur cum D. Aug. ſerm. 18. in Pſ. 118. *non eſt intellectuare hominem*. Quod ſi aliquando operâ malæ Intelligentiæ videntur rudes ſapere ac diſputare, tum ut docet idem Pater 10. de Civit. cap. 9. ſolùm phantaſiam turbat, ut homo ille proferat, quod ipſe non intelligit. Sæpè etiam per os illorum loquitur, ut contingit in Anabaptiſtis, qui prius in fide recta rudes, poculo verò aut pane ſuo accepto evadunt periti ſcripturæ ac Theologiæ, ſed mox ubi ad ſanam mentem redierint, omnis illius ſubitaneæ eruditionis expertes redduntur; recitat exempla Lindanus, Thyræus, & Surius in vita S. Norberti. Poteſt etiam per modum aſſiſtentis inſtruere, qualis fuit dæmon *Socratis*, de quo Plato in *Theage* ferè in fine. Sic enim ibi gloriatur Socrates: *Adeſt mihi divinâ quâdam ſorte dæmonium, quod me à pueritia eſt ſecutum, quæ vox quadam eſt diſvadens, quod ſum facturus, ad faciendum verò provocat nunquam. Quod ſi quis interdum amicorum ſua conſilia mecum communicet, defertur illa vox diſſvadens & me exequi non permittens.* Idcirco putabat bonum fuiſſe, inferre ſibi mortem, quia dæmon illi non diſſvaſerat, ut ipſemet in Apolog. apud Plat. fatetur. Intelligentia hæc fuit damnata, ex mente Tertulli. Apolog. c. 22. S. Aguſt. 8. Civit. 14. S. Cypr. lib. Quod non ſint Dij, n. 52.

ex Socratis scholâ prodijt Plato, qui & ipse discipulos plurimùm dæmonum familiaritati assvefaciebat, ut notavit Carpent. digres. 4. in Alcinoum.

3. *Voluntatem hominis non potest Intelligentia cogere, sed solùm svadere ac propositione objecti blandâ pellicere.*

De Ente ficto, seu De Ente Rationis.

I. ENs Rationis est illud, quod solùm objectivè existit in intellectu, seu est objectum solùm,

2. Vt dari asseratur, fœcunditatem quandam intellectui attribuere est necesse, ut scilicet præter cognitionem possit etiam dare quoddam esse. Dari verò patet. Quia dum cognosco *Hircocervum*, vel cùm dico *Hircus est cervus*, cognoscit aliquid præter se, quia non est reflexa, cognitio: illud non est reale, non enim solum cognoscit Hircum & cervum, sed idem esse Hircum cum cervo, quæ identitas non est realis; & tamen dicitur cognita, affirmata, & ideo actus, *Hircus est cervus*, est falsus. Item cùm dico *Hircocervus est impossibilis*, prædicatum de aliquo est verum, sed non de cognitione: Similiter cùm dico, *Hircocervus est possibilis*, falsa est propositio, sed si in subjecto significaret actum, esset vera.

3. Compositio in Hircocervo est objectiva, id est apprehensio duorum per modum unius, est quasi compositio, quia ficti Entis.

4. Extendunt quæstionem Partes. Vtrum DEVS faciat Ens Rationis? Sed ad Theologos spectat, qui si permittunt sensum nostrum aperire, videtur, non facere propriè. Quia non Ens ut Ens concipere arguit imperfectionem: indirectè tamen facit, quia cognoscit à nobis factum, in quo non est imperfectio, siquidem alienam solùm imperfectionem cognoscit, nec tendit in objectum mo do imperfecto cognoscibile,